Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput secundum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

inaptè arguunt adversarii, periculum imminet Traditionibus non Scriptis per homines mendaces, qui illas post Apostolorum tempora in Scriptum redegerunt; cur non simile periculum immineat omnibus Codicibus sacris; cùm præter unum autographum Apostolicum interim reliqua omnia exemplaria descriptâ fuerint ab hominibus, ut ipsi ajunt, mendacibus?

Caput Secundum.

Unde humana Traditio à Divinâ Secerni possit.

Traditionem sacram generatim divi- 70.
di in Divinam et humanam supra in hujus tractatûs Prologio insinuavimus; ubi et illam esse eam, quæ Deum vel Christum habet auctorem, istam verò, quæ ab hominibus profiscitur, diximus. Harum verò Traditionum disparem, pro dispari nempe utriusque auctore, esse ~~auctorit~~ auctoritatem, nemo est, qui non apertè intelligat, et vel ea ~~omnia~~, quæ de iis ibidem attulimus exempla produnt. Modò argumenti nostri ratio et Ordo postulat, ut, quando adversarii nostri omnia cætera adversùs nostram de Traditione sententiam adducta argumenta à nobis eliminata et disjecta cernentes, ad istud velut ultimum perfugium suum se recipiunt, atque ajunt, impossibile esse, veras traditiones à falsis distinguere, ab aggere isto idos etiam depellamus, nemon ostendamus, quâ ratione vera Traditiones à se invicem, et per consequens à falsis discerni possint, traditis ad id regulis, quibus adversarii, si aliàs judicio et ra-

74 tione uti velint, contradicere haud poterunt; quòd ut citra ullam confusionem præstemus, primò præsenti capite solidas et infallibiles regulas assignabimus, quibus generatim discerni possit humana traditio à divinâ. Sit ergò

71 Prima regula.

Illud non est divina Traditio, cujus, licèt in totâ Ecclesiâ servetur, initium reperitur, aut in decretis Summorum Pontificum, aut in Conciliorum Canonibus, aut in Statutis Patrum. Ratio est, quia si id, cujus initium reperitur, esset divina Traditio, seu si esset aliquid divinitùs traditum, oporteret, ut illi, vel illis à quibus habet initium, de novo fuisset revelatum: atqui id asseri non potest, cum Ecclesia non admittat novas revelationes in iis, quæ ad fidem vel mores spectant, prout jam in Tractatu de Scripturâ passim insinuavimus, atque declarat Vincentius Lirinensis his verbis: „Mos iste, inquit,* in Ecclesiâ semper viguit, ut quò quisque foret Religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contraïret. Hinc Summi Pontifices; hinc Concilia summâ vi, summôque studiô id unum adversùs hæreticos curarunt, ut, pergit idem Vincentius, defenderent susceptæ semel Religionis integritatem. Hinc grande piaculum esse prædicarunt Patres id annuntiare, quòd priùs auditum non est: Annuntiare ergo, inquit ulteriùs,* aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit

* Commonit. l. 1. c. 6.

* c. 9.

nunquam licebit p. Hinc denique iidem Pa- 75. O
tres, eodem Lirinensi teste*, imperarunt, ut * c. 20.
fideles, quidquid ab aliquo deinceps non præter
omnes, vel contrâ omnes Sanctos novum et
inauditum subinduci senserint, id non ad
religionem sed ad tentationem potiùs in-
telligant pertinere.

Confirmatur Ratio hæc 1º. Vel ea reve-
latio cognita fuisset Apostolis, vel non.
Si primum, Apostoli eam revelationem
docuissent, alioquin in ministeriô se præ-
buissent infideles. Si secundum, cul-
pandus esset Christus, qui Apostolos non om-
nia Ecclesiæ necessaria docuisset, adeoque
falsò promisisset Spiritum Sanctum eos
omnem veritatem esse docturum. Hoc ar-
gumentum adhibet Tertullianus adversùs
suæ ætatis gnosticos* Solent dicere, inquit, * lib. de Præscript. c. 22.
non omnia Apostolos scisse; agitati de-
mentiâ, quâ rursùs convertunt: omnia qui-
dem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus
tradidisse, in utroque Christum reprehensio-
ni subjicientes, qui aut minùs instructos,
aut parùm simplices Apostolos miserit.

Confirmatur 2do. Si admitterentur
novæ revelationes in iis, quæ spectant ad
fidem vel mores, tunc Ecclesia nec Monta-
num, qui se à Spiritu Sanctô singulariter
doctum jactabat, nec alios hæreticos, qui
errores protulerunt, nec Novatores, qui
fortè deinceps orientur confutare poterit.
Ergò hujusmodi novæ revelationes admitti 3tia 35
neutiquam debent. Pb. ant. Hujus-
modi hæretici et Novatores statim Ecclesiæ
objicient, factas sibi esse novarum sua-

70. suarum opinionum revelationes: sicque nihil integrum, nihil sanum in Ecclesiâ stare poterit. Ergo p. Plura hanc in rem legi possunt argumenta ~~apud~~ apud Tertullianum et Vincentium Lirinensem loco cit.

72. Regula Secunda.

Doctrina, quæ in unâ tantùm particulari Ecclesiâ reperitur, non est divina, sed humana; non tradita, sed inventa.

Ratio est, quia veritas divinitùs tradita universam spectat Ecclesiam; ergò non potest contineri in unâ tantùm particulari Ecclesiâ. ant. patet; idem enim Evangelium, eandemque doctrinam toti orbi prædicare jussit Christus Apostolos. Consequentia etiam aperta est vel ex eo, quòd alioquin ad unum terræ angulum redui posset Ecclesia Catholica; quod falsum esse demonstrat Augustinus in suis adversùs Donatistas operibus. Hinc etiam meritò docet Vincentius Lirinensis*, Ecclesiam illam particularem eo in casu non esse audiendam, neminemque posse illi se adjungere, si ob privatam suam traditionem sese à cæterarum Ecclesiarum communione præsiderit.

* Commonit. c. 3.

73. Regula Tertia.

Humanum est, nec divinitùs traditum dogma, quòd contrà communem aliorum sententiam ab uno tantùm vel duobus etiam antiquis Scriptoribus, imò et totâ aliquâ urbe particulari aut provinciâ docetur.

Hujus regulæ veritatem demonstrat argumentum, quòd pro priore regulâ adductum est; sicque etiam Majores nostri tenuerunt. Quod si, ait sæpè laudatus Vin-

centius Lirinensis*, in ipsâ vetustate duorum 77 cit. cap. 3.
aut trium hominum, vel certè civitatis unius,
aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur: tum omnino curabit, ut pauorum temeritati, vel insitiæ, si quæ sunt universaliter antiquitùs universalis Concilii decreta 5
præponat. Item, Quidquid verò, ait*, * c. 28.
quamvis ille sanctus, et doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor et Martyr; præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et privatas opiniunculas à communis et publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit, ne cum summô æterno salutis periculô, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem.

Caput Tertium

Unde cognosci possit, traditionem aliquam esse divinam. 74

Assignatis regulis, quibus dignosci possit generatim traditionem quamdam humanam duntaxat esse non divinam; modò etiam assignandæ sunt regulæ, quibus haberi possit, traditionem aliquam esse verè divinam. Sit igitur

Regula Prima. 75

Dogma, quod universa Ecclesia amplectitur, „tanquam fidei dogma „licet in sacris litteris non reperiatur, est divinæ traditionis.

Pb: 1° ex S. Scripturâ: 1. Timoth. c. 3. v. 15. Ecclesiam nuncupat Paulus columnam et firmamentum veritatis. Item de eâ dicitur à Domino Matth. c. 16. v. 18. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Atqui ipsa non esset columna et firmamentum ve-